



Iohannes ex nobili familia Baumgartnerorum
 (quæ ex Franconia Orientali Augustam cōces-
 sit) natus est, cuius pater ob eximias animi uir-
 tes, integritatem in moribus, prudentiam in con-
 silijs, fidem ac dexteritatem in negotijs, & pieta-
 tem erga patriam apud Fridericum Cæsarem, &
 Mathiam Vngarię regem in summa cū gratia tū
 autoritate fuit, quibus etiam sæpe pacis & belli
 tempore præclaram operam nauauit. Ab eo patre
 Ioannes prognatus, & omni genere literarum &
 uirtutum optimè educatus est. Itaq; patri similis fa-
 ctus, tam animi quàm corporis & fortunæ bonis
 conspicuus fuit. Vnde Maximilianus, Carolus, &
 Ferdinandus Cæsares eum in consilium legerunt, & ob raram ingenij dexteri-
 tatem ac singularem prudentiam plurimum dilexerunt. Quū etiam in expe-
 ditione Turcica à Carolo Cæsare accitus esset, illi & facultatibus largiter, &
 consilijs fideliter, & opera fortiter adfuit, omnium periculorum socius, para-
 tus & uitam patriæ ac Cæsari impēdere, quum ante id temporis in hoc ipsum
 bellū suis impendijs Cæsari 32 cataphractos pulchrè instructos misisset, eosq;
 uiros selectissimos. Quodq; is diues erat, fuit cum multis alijs commune. Ve-
 rùm ipse opes suas possedit, & non ab eis fuit possessus, pecunię fuit dominus
 & non seruus. propterea mira benignitate egenorum uiscera refecit, atq; lite-
 rarum studia in uarijs locis promouit. Idq; Huldricus Zasius & Erasmus Ro-
 terodamus, quibus erat familiaris, non uno tantum loco de eo prædicant.